

commoretur, *Gobl. hic*, Remum refert *Matth. Steph. hic*, vide eundem de *jurisd. lib. 2. par. 1. c. 7. memb. 6. n. 21. & part. 2. c. 4. n. 5. Bisciol. 12. hor. subc. 3. circa fin.*

ARTICULUS LXXXIII.

Harum capitalium Carolinarum, Sacriq; Romani Imperii sanctionum Codicem in medium proponi in judicio debere, nec non partibus ipsis ea, quæ scire debent, aperienda esse.

Vide *art. 8. concl. 1. in fin.* quicquid sit, inquit *Zieritz. hic*, verb. *in conspectu*, usu hodierno non observatur in loco Judicii.

ARTICULUS LXXXIV.

Quomodo judex de judicio rectè constituto querat.

1. Res est expedita, nec indiget explicatione, quippe quod hoc articulo saltem caveatur de Assessoribus à Judice interrogandis, utrum sufficiens sit judicantium numerus? qui tunc scilicet erit, ubi non minus septem, aut octo aderunt Assessores, sive Scabini. Vide *Gobl. hic. in auctario*. Attestantur tamen *Zieritz. verb. non minus septem, Matth. Steph. hic*, hunc numerum in plerisq; Judiciis coarctari, cum pauciores in Judiciis assideant, & lites expediant.

ARTICULUS LXXXV.

De reo ante executionem in conspectu publicè in numellis, aut compedibus exhibendo.

1. Confirmat *Imper.* hoc loco saltem illam consuetudinem in quibusdam locis, ubi ante executionem rei compedibus vincti aliquot horis, vel diebus publicè solent sisti, & exhiberi. Vide *Gobl. hic*. Cæterum, ut ad aliquot dies condemnatus publicè post latam sententiam sistatur, id moribus nostris inusitatum, *Steph. hic*. Imò & tædiosum & periculosum esse videtur. *Zieritz. hic*, verb. *si quâ locorum*.

ARTICULUS LXXXVI.

Vt reus in judicio sistatur.

1. In præcedenti articulo agitur de reo in conspectu populi publicè sistendo. Hic cavetur de reo post conspectum publicum in judicio sistendo, quod fieri debet per lictorem, aut apparitorem, Judice mandante, & quidem reo manibus post terga revinctis. Quando tamen reo respondendum ad crimina commissa, tunc vincula relaxari debent. Hinc ita pronunciarum solet: *Nachdem der arme Sünder / vor diesem Peinlichen Halsgericht frey vnd vngewunden öffentlich bekandt / quæ responsio & defensio rei ultima est & finalis, Zieritz. hic, verb. ligatus, Steph. hic.*

ARTI-